

LXXI.

PARODIA LUGUBRIS

ad Oden. 24. lib: 1. Carmen Horat:
in obitum immaturum

**GENERE, VIR-
TUTE ET DOCTR-
INA VERE NOBILIS AC
PRÆCLARI IUVENIS FRIDERICI
à VVEIHE FRIDERICI
FILII Illust: juniorum Co-
mitum ab ISENBURGK
morum Præfecti.**



CASSELLIS

Excudebat VWilhelmus VVeffelius,
Anno 1599.

WV

enda
vt &
tius
quis
ritu,
de-
ua-
sine



EPIGRAMMA
NOBILISSIMI EQVITIS MISN.
C. P, &c. in obitum FRIDERICI
à VVeihe.



EHUS, in mediis concussi flucti-
bus orbis,
Cum patriæ incumbunt bella alia
atq; alia,
Atq; hinc Turca ferox, hinc callidus urget
Iberus,
E terra magno dum properat studio,
In coelum ascendens lætus, mortalia, dixit,
Vivite mortales sæcula; sic abiit.

Heu cadis ante diem nobis, Friderice,
Iehovæ
Sed definitū non cadis ante diem.
Ingenium, virtusq; tua, & vis Dæ-
dala fandi

Longis Mathusalæ digna diebus erant:
Iamq; tui ingenii Respublica fructibus amplis
Certabat longo tempore posse frui.
Nobiscum certans DEUS in certamine victor
Vixit, ait, vobis; vivat at inde mihi.
Ergo illum eripui terris, cœloq; locavi
Heroasq; inter sidereosq; choros.
Iam novus insvetas miratur is advena sedes;
Miratur cœlum, cœlicolūmq; melos.
Iamq; meo aspectu fruitur propiore, meamq;
Ad dextram Natum carne sedere videt.
Expleri mentem nequit, ardescitq; videndo,
Et quò plus vidit, plura videre cupit.
Tantæ deliciæ superiorum, gaudia tanta:
Fœlix cui gustum talium habere datur.
Salve igitur, Salve ô Friderice nove incola cœli;
Nosq; expecta, aderit cum sua cuiq; dies.

F.
Greg. Schönfeld. D.
ij Aliud

Aliud

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam magni juvenis? cui celerē Deus
Et celebrem mentem, nobilis ingen
Dotes, artibus optimis

Affatim dederat, quem genus inclytum
Ornabat pariter, viderat exera
Mundi regna, peritus fatis artium
Hoc esset sapientior.

Leucoreæ studiis primo operam dedit,
Marpurgi juvenis sedulus in Schola
Consumsit spatium temporis optimè
Castris in Themidos vigil.

Gallia & hunc vidit deinde biennium,
Genevæ quoq; se præbuit arduum:
Testis Pacius & pulpita, ut & Themis
Atq; Astræa choro suo.

Lustravit Batavos, Anglica climata
Hinc Spiræ Nemetum justitiæ domum
Romanæ voluit noscere, & inclyta
Hinc oracula discere.

Eisenburgicus hunc post Comes avocat
Vitæ Præfectum filioliis suis,
Queis desiderium nobilis hic sui
Liquit vel lacrymabile.

Invidit

Invidit juveni, vidit ut hæc, mala
Sors, & mors juvenem tempore florido
Aufert, dum putat hunc esse virum senem
Hunc, qui mente senex erat.

Nam postquam duo bis lustra peregerat
Atq; annum, medio in flore reciditur:
Quem si præstiterint fata superstitem
Quam messem poterat dare?

Sed decepta tamen mors es in hoc viro:
jam primum viget, & vivit in æthere;
Cui mors hæc sopor & vel sapor, inclytum
Funus foenus amabile.

Multis ille quidem flebilis occidit:
Nulli flebilior quam, Genitor, tibi.
Sed frustra lacrymas: Namq; ita creditum
Mortalis fuit ille homo.

At non Friderichum perpetuus sopor
urget, cui pudor & justitię soror
Incorrupta fides, nudaq; veritas
Cordi semper erant magis.

Sat vixit, benè qui vixerat, & diu
Sat, qui nobilium condecorans genus
Patrum, præter & annos sapientior
Virtute, arte sua cluit.

Vixit ceu decuit, mortuus in DEO.
Quid restat? jaceat corporis artubus
Terrâ, mens habitans in Domini sinu
Speâet judicium Dei.

Hæc Lex dicta semel, nec revocabilis:
Mors cunctis citius spe venit improba.
Durum, sed levius fit Patientiâ
Quicquid corrigere est nefas.

Felix, qui moritur notitiâ DEI,
Miles militiæ qui fuit optimus,
Cui mens conscia recti fuit & boni,
Is palmâ potitur suâ.

F. ab

HERMAN. THALMULLER.

Quod si quis in hoc mundo
Terrenis rebus se occupat
Spectat ad hunc mundum
Et non ad illud quod est
Mors sua et sepulchrum
Tunc non habet vitam eternam
Quicquid contigit in hoc mundo
Et post mortem non habet
Mors sua et sepulchrum
Cuius non est finis
In palatio possit



A 2490

ULB Halle
003 485 986


3




sb

kom







70

LXXI.
PARODIA LUGUBRIS
ad Oden. 24. lib: 1. Carmen Horat:
in obitum immaturum
**GENERE, VIR-
TUTE ET DOCTRI-
NA VERE NOBILIS AC
PRÆCLARI IUVENIS FRIDERICI
à VVEIHE FRIDERICI
FILII Illust: juniorum Co-
mitum ab ISENBURGK
morum Præfecti.**
CASSELLIS
Excudebat VVilhelmus VVesselius,
Anno 1599.

WVF

